

05 A 526

05

A

526





Εὐν τῷ Χριστῷ

DISPUTATIO IX.

συνωδολογική,

eaque

VI. Specialis, & posterior de S Y N O D O
EPHESINA I. Oecumenica II.

De

NESTORIANISMO

tum Veteri: tum Recenti,

In Electorali ad Albim Academia,

Proposita

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNNE FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente,

M. JOHANNNE CALLENIO Ulyssæo
Lunæburgo. Saxone.

Ad diem 12. Januarij horis locoj, consuetis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



05 A 526

PRÆLOQUIUM.

Αξιωματίον I.

Historica Synodi Ephesinæ, proximâ συζητήσῃ, perlu-
stravimus περιστατικῶς: hac συμφιλολογίᾳ, ejusdem
Dogmatica succedunt examinanda ἐλεγκτικῶς.

II.

Ex his verò & in his consistit Nestorianismus;
de ejus autore & occasione, in eadem Disputatione nuperrima.

III.

Jam methodum consuetam iterum observantes, ad gemi-
nam ἀντιῶδῶσεων, tractationem istam revocare juvat.

IV.

Utraque vicissim bipartita fuerit: In priori prioris ἀντιῶδῶσε-
ως parte, Veterum ac Recentium Nestorianorum convenientiam;
in posteriori eorundem differentiam designabimus.

V.

In priori posterioris ἀντιῶδῶσεως parte Veterum; in poste-
riori Recentium Nestorianorum Sophismata refellemus.

Αντιῶδῶσεις PRIOR.

ejusque

PARS I.

VI.

Veterum Nestorianorum appellatione intelligimus Ne-
storium hujusque in errore & Antecessores & Successores.

VII.

Antecessorum familiam ducit Paulus Samosatenus, qui statuit:
τὰς δύο φύσεις παντάπασιν ἀκοινωνήτας εἶναι πρὸς ἑαυτὰς, testi-
bus Theodoreto, Theodoro Presbytero, Cedreno & Suida, in nomine Pauli.

VIII.

Successores Nestorij distinguimus in primarium & secundarios.

IX.

Primarius erat Theodoretus Cyri Episcopus, qui secutus initiò
partes Johannis Antiocheni, φιλονεικίας vitio, contra Cyrillum
Alexandrinum, Nestorij delirium defendere conatus est.

A 2

X, Postea

X.

Postea verò rectius informatus, in Concilio Chalcedonensi, Sessione VIII. receptus est in Chorum Orthodoxorum, dicto ab ipso anathemate Nestorio.

Tom I. Concil. p. 897. col. 1.

XI.

Secundarij fuerunt vel priorum : vel posteriorum Seculorum.

XII.

Priorum seculorum fuerunt Theodoretus Mopsvestenus Episcopus, ejusque asseclæ damnati, in Synodo Constantinopolitana, Oecumenica V. A. D. 552. velut alij annotarunt, 553, habita, Actione IV. c. 12.

Tom. II. Concil. p. 91, Col. 1.

XIII.

Calculo damnatorio, eodem io Concilio, notata sunt Scripta Theodoretici contra Synodum Ephesinam I. & S. Cyrillum, ejusque 12. anathematisimos edita, in eadem Actione IV, c. 13. ibidem.

XIV.

Posterioribus seculis qui extiterunt, partim fuerunt & sunt Orientales : partim Occidentales.

XV.

Orientales partim in Arabia & India olim vixerunt, circa A. D. 1120, sicut testatur (a) Haymo, partim adhuc vagantur, in extremis Tartarorum finibus. (a) Serm. 3. Pentecost.

XVI.

In occidente Felix Orgellorum Episcopus & Elipandus, seculo VIII, à CHRISTO nato, Nestorianismum ab inferis resuscitarunt, dicentes, FILIUM Mariæ FILIVM DEI per gratiam, sive per adoptionem, adeoque DEVM duntaxat nuncupativum, damnati eo nomine in Synodo Reginoburgensi A. C. 742. & Francofurtensi A. C. 794.

Osiand. Cent. VIII, p. 69.

XVII.

Recentiores porrò Nestorianos appellamus Calvinianos pariter & Jesuitas.

XVIII.

Isti enim, hac etiam in parte, mutuum muli, scabunt, &

& pulcerrimum inter se ἐνωλινὸν Constituant, adeò ut & huc non
abs re accommodari possit querela Apostolico-Davidica:

DOMINE, convenerunt verè adversus FILIUM tuum IESVM, quem
vinxeras Herodes simul & Pontius Pilatus.

Act. c. 4. Pal. 2.

XIX.

Quod ut in lucem protrahatur manifestius: κατ' ἀντιθέσιν
Ἰεσὺν usitatam Veteres illos ac Recentiores istos Nestorianos in vi-
cem conferemus. I.
Opinio Vete-
rum Nestoria-
norum.

XX.

Quæ fuerit Veterum Nestorianorum doctrina: non una est
omnium sententia.

XXI.

Quare ut distinctius agamus, per Ἰεσὺν & ἀφαιρέσιν nobis
progrediendum, ita, ut per illam opiniones falsas seponamus; per κατ' ἀφαι-
ρέσιν hanc autem veram supponamus. I.
triplicè.

XXII.

.I. Recepta est & pervulgata in Papatu opinio, referente (b)
Luthero, quasi Nestorius DEITATEM CHRISTI, negavit adeoque
ipsum purum putum hominem extitisse blasphemavit.

(b) Tom. VII. l. 1. f. 247.

XXIII.

Sed fuisse Nestorium ab execrabili isthac blasphemiam alie-
num, è tribus documentis splendidissime elucet.

XXIV.

1. Quòd & Arianos & Macedonianos gravissime persecutus
Tom. I. Conc. p. 533.

XXV.

2. Quòd maxime urfit autoritatem Symboli Niceni
Luth. Tom. VII. l. 1. p. 248.

XXVI.

3. Quòd Socrates ipsum à suspitione huius erroris liberat,
in hæc verba scribens:

Lib. VII. c. 32.

Quòd non dicit, Christum hominem solum esse, sicut Photinus & Paulus
Samosatenus: quodq; non subsistentem Dei Verbi personam tollit,

A 3

sed eum

sed cum Trinitate subsistere & in eius essentia inesse confiteri:
quod deniq; ei essentiam non adimit, sicut Photinus & Samosate-
nus (idem etiam Manichæi & Montanistæ asserere non dubita-
bant) ex concionibus ab ipso editis satis constare poterit, Verum
quanquam Nestorium partim ex libris eius, quos legerim, partim
ex necessariorum illius sermone ita sensisse Comperio: tamen ina-
nis ejus & stulta doctrina, non parùm universum orbem terrarum
conturbavit.

XXVII.

II. Communis præterea, Romanensium præsertim, error
est, quasi disertè & directè asseruerit Nestorius, non unam: sed
geminam CHRISTI personam; Vnam Divinam ex DEO PATRE ante
secula genitam: Humanam alteram ex Maria Matre, in tempore
natam.

XXVIII.

Ita enim Bellarminus communis illius erroris *Agdox*
sive tradux. lib. 3. de CHRISTO c. 5.

Paulò post eandem hæresim docere cœpit NESTORIVS Patriarcha Con-
stantinopolitanus, & cum eo ANASTASIVS ejus Presbyter, nec-
non THEODORVS Mopsuestenus Episcopus, & alii quidam. Do-
cuerunt enim B. Virginem purum hominem peperisse, & qui non
solum naturam, sed etiam personam humanam haberet, & proin-
de B. Mariam, non esse Dei genetricem, sed Christi genetricem; &
nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, solè
homini tribuendam,

XXIX.

Sed neq; hunc errorem affingi & impingi posse Nestorio, sua
ipsemet cõfessione docet, solenni hæc, uti loquuntur, protestatione:
Aufer omnem suspicionem dualitatis Filiorum & Dominorum.

XXX.

Quò & hæc Theodoretæ assertio contra secundum Anathema-
tismum Cyrilli, alludere videtur,

*Vnum Christum confitemur, eundemq; propter unionem & Deum & ho-
minem nominamus.*

Item, Sufficit dicere, unionem, quæ & naturarum ostendit proprietates:
& unum docet Christum.

XXXI.

XXXI.

Addè, quòd nullibi, sive in historia sive in scriptis Nestorii reperitur, quòd CHRISTUM pro duabus personis habuerit, què admodum iterum utiliter monet *μεγάλη μεγάλη θεῶν σάλπιγξ*
Lutherus.

Tom. VII. Ien. Germ. p. 248.

XXXII.

III. Beza, cui plerique factionis Zuuinglio-Calvinianæ socii adstipulantur, somniat: Nestorium ideò fuisse damnatum, quòd noluerit *admittere phrasas & prædicationes nonnullas de persona CHRISTI.*

Colloq. Mompelg. p. 254.

Nobis cum errore Nestorii nihil est commune, quia admittimus hanc enunciationem: Deus est passus: Homo est omnipotens, quod Nestorius non fecit, sed eas oppugnavit.

XXXIII.

Verùm non de phrasibus sed de rebus disceptatum fuisse, cum Nestorio, præter scripta Cyrilli & Acta Ephesini Concilii, duo potissimum argumenta evincunt, quorum unum generale: speciale alterum.

XXXIV.

Generale est, quod verba rerum symbola; sine his verò sonora mendacia.

XXXV.

Quomodo igitur de verbis solùm: non autem de rebus disceptatio fuerit?

XXXVI.

Et annon potiùs à Patribus Concilii Ephesini Nestorio dicendum: *Retine mentem, & corrige linguam*, quàm fulmen anathematis in ipsum, non quoad res, sed quoad phrasas saltem *ἔτε ἐδόξον*, vibrandum?

XXXVII.

Speciale est, quòd Nestorius tandem ultro concessit: Mariam dicendam esse θεοτόκον, teste hac ipsius voce: Dicatur sanè Maria Deipara & cesset hac molestia.

XXXVIII.

XXXVIII.

Et nihilominus tamen mulctatus fuit exilio; cum foret ex eorum grege, de quibus Irenæus ὁμοια μὲν λαλῶσιν: ἀνόμοια δὲ φρονησῶσιν.

XXXIX.

i. Ceterum sepositis ita κατ' ἀφαιρέσιν opinionibus Nestorio κατὰ θεσιν, à diversis falso impostis, quarum duæ priores, κατ' ὑπερβολὴν, tertia verò quasi κατ' ἔλλειψιν à veritatis viâ declinant: consequens est, ut κατὰ θεσιν verum Nestorii errorem detegamus, detectum illis supponamus.

XL.

Statuimus proinde cum Luthero ejusq; discipulis γνησίσις, caput delirii Nestoriani fuisse, quòd veram ac realem communicationem proprietatum duarum in CHRISTO naturarū sive ignoraverit, sive negaverit. Tom. VII. len. 248. 249. Iacobus Andrea in Coll. Mompelg. p. 233.

XLI.

Actiones enim & passiones utriusque naturæ communes esse concedere noluit: sed distinctè alias Carni: alias Divinitati, absq; ullâ reali communicatione, in solidum tribuit.

XLII.

2. Cujus rei indices & judices voces ejus, non ἀνάλογοι sed ἀντιλογοί fidei, v. g. quòd Maria non genuerit Deum; quòd homo saltem: DEVS autem minimè passus crucifixus, mortuus.

XLIII.

3. Equo erroris fonte, manarunt protinus alii ejusdem generis rivuli; cujusmodi præcipuè vitiosa & hæreticissima unionis personalis definitio: non, per copulationem ὑποστατικὴν: sed per gestationem ὠδαστικὴν; id quod liquet ex his Nestorii verbis:

Propter eum qui gestat, adoro eum, qui gestatur

Cyrillus de Incarnatione c. 28.

XLIV.

Quò tendit etiam Apologia Theodoretii secundo Cyrilli Anathematismo opposita:

Secundum substantiam verò unionem modis omnibus ignoramus. Ita enim introducitur temperamentum carnis & divinitatis, quæ nihil aliud est quàm confusio, quæ aufert uniuscujusq; proprietatem.

Si una

Si una esset substantia, Christus diceret: Solvite me, & in tri-
bus diebus resurget abo: Sed dicit: solvite templum hoc, & resuscitabo.
Non ergo secundum substantiam unio introducenda est, qua temperamentum secum affert: sed sufficit dicere, unionem, qua & naturarum ostendit proprietates, & unum docet Christum.

XLV.

Unde liquet, quod, licet Nestoriani Veteres, *χριστόλουσι* sive dualitatem personarum non asseruerint *ἡγμένως*, directè, aperte, *κατὰ λέξιν*: asseruerint tamen eam *ἐπομένως*, indirectè, aperte, *κατὰ Δόξαν*.

XLVI.

Quod ipsum hodiè tenent ac docent Nestoriani Recentestum *Rasi* id est Iesuitarum *Calvi* id est Sacramentarii, utriq; *χριστοργισαί* velani.

II.
Opinio Recentestium Nestorianorum.

XLVII.

Etenim 1. Utrique etiam negant veram ac realem proprietatem duarum in CHRISTO naturarum communicationem.

Bellarminus lib. III. de Incarnatione. c. 8.

Ergo unio hypostatica non consistit in communicatione attributorum: sed SOLIUS substantiæ

Beza in Colloq. Mompelg. 245.

Non nego, quòd λόγος assumat a natura hypostasi suam communicet; & ita personam liter ab eo sustentetur, quod sit per unionem: sed hanc unionem, non judico commiscendam cum communicatione idiomatum seu proprietatum, quam vos ex hac unionem sequi dicitis. Nos verò dicimus, quòd humanitas à λόγῳ TANTVM sustentationem accipiat, SINE OMNI proprietatum alterius natura communicatione, ex qua confusio naturarum sequeretur. Sic enim natura humana cum λόγῳ unitur, ut ab eo substantiam acquirat.

XLVIII.

2. Utrique etiam negant DEUM verè ac realiter è Maria Virgine natum passum, mortuum.

Bellarminus lib. III. de Incarnatione c. 19.

Colloq. Mompelg. p. 253. 254. 255.

XLIX.

Quòd pertinet quòd coherentis Calvinisticæ Antesignanus Beza, hanc

2.

B

za, hanc

za, hanc propolitionem: *DEVS est passus*: ita interpretatur: *DEVS id est Caro Deitatis unita est passa.*

Respons. I. ad Colloq. Mompelg. p. 183. edit. Genuens. Anno 87.

L.

3.

3. Utrique etiam unionem duarum naturarum in *CHRISTO* definiunt *gestandi*, & *sustentandi* verbo, absque ulla naturarum & proprietatum communicatione.

Bellarmin. lib. III. de Incarnat. c. 17.

Licet alicubi sit Verbum, ubi non est humanitas, tamen etiam ibi Verbum est homo, quia Verbum ibi existens sustentat humanitatem, ut suam & propriam, licet alibi existentem. Quemadmodum anima rationalis in pede existens unita est cum capite, & informat caput, licet caput ibi non sit, ubi sunt pedes.

P. M. in Exam. Ord. in L. de DEO.

Ita λόγος & assumpta natura sunt unum ὑφιστάμενον, & redigetur in nihilum humana natura, si non sit GESTARETUR ET SUSTENTARETUR à λόγῳ.

Petrus Martyr. in Dial. f. 10.

Sufficit Deitatem quamvis immensam & infinitam, suam hypostasi FULCIRE & SUSTENTARE humanitatem, ubicumque illa fuerit.

Beza in Colloq. Mompelg. pag. 205.

Resp. ad thesin VIII. & IX.

Itaque communicationem realem, id est, unionem naturarum admittimus, in qua manent singulae naturae PER SE, etiam in unionem, suis proprietatibus distinctae, CITRA VLLAM ALIAM communicationem.

LII.

4. IV. Ac proinde utrique etiam, vel inscii & inviti, introducunt *χρῆσολυσιν*, & personarum *CHRISTI* dualitatem, pari modo quo olim Nestoriani,

LIII.

Quam ipsam ob causam non abs re Nestorianismi eos accusamus, ad exemplum Lutheri & *γενήτων* ipsius Discipulorum.

Tom. VII. len. p. 250. 251.

Colloq. Mompelg. p. 233, 234, 235.

& sequent.

LIII.

LIII.

Et haec tenus quidem fuit *Convenientia* Veterum ac Recentium Nestorianorum.

POSTERIOR PARS

prioris ἀνάλυσις καὶ ἰστορίας.

LIV.

Differentia in hoc consistit, quod haeresis Recentium Nestorianorum multo est deterior, quam Veterum.

LV.

Nestorius enim communicationem duntaxat proprietatum *Humanitatis* impugnavit.

LVI.

Hi verò etiam communicationem proprietatum *Divinitatis* negant. *Colloq. Mompelg. p. 204.*

LVII.

Quod cum ita sit: merito & jure oprimo Zwinglio-Calvianorum fraternitatem ultro nobis oblatam repudiamus, justo zeli favore, dicentes cum Davide:

Nonne qui te oderunt DOMINE oderam, & insurgentes contra te abominabar? perfectò odio oderam illos: idè inimici facti sunt mihi.

ἀνάλυσις καὶ ἰστορίας posterior ejusq;

PARS PRIOR.

LVIII.

Quae fuerint Veterum Nestorianorum Sophismata causaeq; praesidia, vix aliundè prospicietur rectius, quam ex *Anathematismis* Cyrilli, hisque oppositis Theodoretì *Ἀπικρίσεις* sive responsionibus, aut notis.

XII. Argumēta ex Anathematismis XII, Cyrilli.

LIX.

Redigemus singulae singulis fideli studio, κατ' ἀνάγνωσιν Logicam, ad Syllogismos, subjecta singulorum brevi & perspicua refutatione.

LX.

I. *Quicumq; est immutabilis is nasci nequit ex Virgine: sed sufficit, ut in eo, quod nascitur, tanquam in templo habitez.*
Atqui DEVS FILIVS ὁ λόγος est immutabilis.

B 2

Mal.

Mal. c. 3. Iacobi, c. 1.

Ergo

LXI.

Resp. Est captio ex *ἑμωνυμία* vocabulorum, eaque geminā, una in verbo nascendi: altera in verbo habitandi.

LXII.

Priorem quod attinet: τὸ nasci duplici modo accipi potest: Vno pro eo, quod est natura & ortus sui principium ἐπ' uente trahere.

XLIII.

Quo sensu FILIUS DEI sive DEUS (λόγος) ἐστὶ negatur ex Maria virgine natus.

LXIV.

Et huc spectant Scripturæ testimonia de immutabilitate Dei omni exceptione maiora.

LXV.

Altero pro eo, quod est, ex utero in lucem edi, ac produci: Quo significato negari nequit: DEUM natum ex [Maria Virgine, (d) *Διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως, ταυτότητα καὶ τὴν τῶν φύσεων εἰς ἀλλήλα ὑπεχώρησιν*, quam propter fieri nequit, quin, uno & eodem pariendi actu, Maria simul DEUM (λόγον) eniteretur, atque adeò verè sic *Ἰεσοῦς* κ.

(d) *Damasc. lib. 11. c. 4.*

LXVI.

Idque haud obscure indicant Codicis Biblicæ pronuntiata memoria omnium dignissima

Luc. c. 1. 35, 43. Gal. c. 4. 4. Heb. 1. 4, 5

LXVII.

Posteriores *ἑμωνυμίας* ut explicemus: tenendum, quod inhabitandi verbo non insinuetur *ἰνῆabitatio* *πνευματικῆ* ἢ *ὑπαστατικῆ* qualis SPIRITUS SANCTI infidelibus:

I. Cor. c. 3. 6 c. 6.

LXVIII.

Verum inhabitatio *σωματικῆ* sive *ὑπαστατικῆ*, quæ non qualieunque combinatione: sed verà ac reali naturarum pariter & proprietatum communicatione definienda, ex Epistola ad Colossenses c. 2, 9.

LXIX

II. Si statuitur unio naturarum καὶ ἡ ἑσώστασις: inēroductetur natura naturarum confusio. II.

Atqui hoc est absurdum.

Ergo & illud.

LXX.

Resp. Est Sophisma παρεπομένε. Respondetur igitur per negationem consequentiae, ex definitione Unionis, quæ facta ἀσυγύτως, id est, non naturarum confusione: sed communicatione: non συμμίξει Physica: sed ὁμοχωρήσει mysticā.

LXXI.

III. Copulatio diversorum est. III.

Atqui natura CHRISTI invicem copulata sunt.

Ergo eadem invicem erunt divisa.

LXXII.

Resp. Impingit argutatiuncula in fallaciam ὅτι τὸ κατὰ τὴν μὴ ἀπὸ λῶς. Major enim vera est de copulatione Physica: falsa de unione naturarum in CRISTO hypostatica, qua FILIUS DEI carnem assumendo & creando assumit in personæ unitatem Damasc. Lib. II. c. 2, 3, 4, 11, 27.

LXXIII.

IV. Si ὁμοῦσιον conficemur (retinemus ac recitamus verba Theodoret) cui adaptabimus illud: Deus meus, quare me dereliquisti? Si possibile est, transeat calix iste? Nemo novit, nec Filius hominis? Cui sitim, laborem, somnum, ignorantiam, formidinem, quæ Angelo indiguit, tribuemus? &c.

Ergo quæ DEVM decentia dicta & gesta sunt, DEO Verbo applicemus: quæ verò humiliter dicta, servi formæ jungamus, ne in Arij vel Eunomij hæresin incidamus.

LXXIV.

Est iterum Elenchus à dictose secundum quid, qui facile dilui potest, distinctione inter naturam CHRISTI Divinam & Humanam, huiusque considerationem in statu exinanitionis, & exaltationis; de quibus plura in Disputatione quinta.

LXXV.

V. Impium est dicere DEVM VERBUM factum esse carnem conversione: sed potius dicendum cum Basilio, quod CHRISIVS ΓΕΟΦόσος. Ergo. V. LXXV.

LXXVI.

Resp. Procedit argumentatio ex falsa hypothefi eaque gemina.

LXXVII.

Prima est, quod incarnatio facta fingitur *conversione*, cum ea facta sit *assumptione*; secundum illud Athanasij in Symbolo:

Vnus non Conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione Humanitatis in DEVM.

LXXVIII.

Altera est, quasi ab Orthodoxis Patribus CHRISTUS ideo appellatur $\Gamma\epsilon\omicron\Phi\omicron\gamma\epsilon\omicron$, quod $\Phi\omicron\gamma\epsilon\omicron$ sive gestatio, illa sit forma vel differentia specifica personalis unionis, sed quod consequens sive effectus, aut actus illius secundus, ex illa, tanquam acta primo, dependens, ut operatio accidentalis: à forma essentiali.

LXXIX.

VI. VI. Si Humana CHRISTI Natura suum τὸ εἶδος ὑποστατικόν, ἐν αὐτῷ τῷ Λόγῳ sortita est: Sequitur, quod neq; possit neq; debeat ea appellari servi forma.

Atqui Prophetæ Esaias, post unitatem, naturam assumptam vocat *servum*; *Servus meus es tu.* Ela. 42. v. 1. & 53. v. 11.

Ergo.

LXXX.

Resp. Est $\pi\alpha\rho\epsilon\sigma\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ termini (*Forma Servi*) quo non notatur, ipsa Natura CHRISTI Humana; sed Status Exinanitionis, cuius non vulgaris ratio: sed singularis dispensatio.

Philip. 6. 2, 7.

LXXXI.

Hinc perpulerè Leo Epist. 10.

Exinanitio fuit inclinatio miserationis: non defectio potestatis.

LXXXII.

VII. VII. Mortale, & id, quod mortale à mortuis resuscitat, sunt invicem distincta.

Atqui Humana CHRISTI Natura est mortalis: VERBUM verò Vita (Essentialis $\alpha\upsilon\tau\omicron\zeta\omega\eta$) à qua CHRISTVS secundum Humanam Naturam è mortuis resuscitatus fuit.

Ergo.

LXXXIII.

Resp. Est Fallacia ἐξαγωγίας. Conceditur igitur totum ar-
gumentum. Naturæ enim CHRISTI *distinctæ* sunt & manent ve-
rissimè: *Divisæ* autem invicem fuerunt minimè.

LXXXIV.

Per mortem quidem *vinculum* animæ & corporis *naturale*
solutum fuit: *Vinculum* autem Naturæ Divinæ & Humanæ *Per-*
sonale indissolutum mansit.

Hilarius.

Ecclesie fides scit in CHRISTO dispensationem: nescit divisionem.

LXXXV.

VIII. *Vnicuique Natura sua propria sunt deputanda.*

VIII.

Atqui adoratio propria est Divinæ Naturæ.

Ergo huic soli illa est deputanda.

Et per consequens, CHRISTVS HOMO non pro-
priè adorandus: sed coadorandus est.

LXXXVI.

Resp. Est ὁμολογισμὸς ὡς τὸ πῆλ ἀπὸ λῶς. Responde-
tur igitur per distinctionem inter ea, quæ CHRISTVS *habet per*
naturam: & ea, quæ FILIVS *Hominiis accepit per gratiam persona-*
lis unionis.

LXXXVII.

Per naturam propria est adoratio CHRISTI, secundum Na-
turam Divinam: Per unionis autem gratiam eadem numero, eidem
competit, secundum Naturam Humanam Phil, 6. 2. v. 9. & 10.

LXXXVIII.

Ex unitate enim Personæ unitas adorationis provenit, adeo-
que ut illa indivisa: ita hæc quoque nequaquam dividenda.

Damascenus lib. IV. c. 2.

Προσκυῖται γὰρ μιᾷ προσκυνήσει μετὰ τῆς σαρκὸς
αὐτῆς ὑπὸ πίστεως τῆς κτίσεως.

Augustinus serm. 58. de verbis Domini.

in 14. c. Iohannis.

Ego Dominicam carnem, immò perfectam in CHRISTO *humanita-*
tem idè adoro, quod à divinitate suscepti & Deitas unita est:
ut non alium & alium. Sed unum eundemq; DEVM & Homi-
nem Filium DEI esse confitear.

LXXXIX.

IX. **IX.** Qui operandi virtutem recipit à SPIRITV S ANCTO : is diversus est ab eo, qui eam non recipit.

Sed CHRISTVS Homo (d) operandi virtutem recepit à SPIRITV SANCTO : FILIVS autem DEI non recepit.

Ergo.

(d) Luc. cap. 1. cap. 4. Esa. 61. Matth. 12.

XC.

Est iterum Elenchus à dicto secundum quid. Quare ad Majorem per limitationem hoc modo: Quicumque recipit virtutem operandi à SPIRITV SANCTO, tanquam extraneam & alienam: is &c.

XCI.

Atqui virtus operandi, quam CHRISTVS secundum Humanam Naturam, accepit, non est talis, sicutem SPIRITVS SANCTVS, Sprocedit etiam à FILIO, cui illa personaliter intima & $\omega\chi\omega\eta\sigma\delta$ unita; cujus gratia etiam SPIRITVS SANCTVS nuncupatur,

SPIRITVS CHRISTI Rom. 8. v. 9.

SPIRITVS FILII Gal. c. 4, 6.

SPIRITVS JESV CHRISTI Philip. 1, 19.

I. Pet. 1, 11.

XCII.

Addè, quod opera Personarum Trinitatis ad extra indivisae propter indivisam essentiae Divinae unitatem.

XCIII.

X. **X.** Qui est Pontifex & Apostolus Confessionis, non est idem cum eo, qui non est Pontifex & Apostolus Confessionis nostrae.

Atqui CHRISTVS Homo est Pontifex & Apostolus Confessionis nostrae: non autem θ Λόγος Heb. c. 3, 1.

Ergo.

XCIV.

Est $\lambda\eta\psi\iota\varsigma$ τῶν ἐν δεξιῇ. E Scriptura enim abundè liquet, quod officium Sacerdotale CHRISTO competat secundum utramque naturam. Explicatio dicti Heb. c. 3, 1. videatur disputatione V.

XCV.

XI. **XI.** Caro communis CHRISTO cum omnibus in universum hominibus, nihil

nihil habet commercij cum τῷ Λόγῳ, neq; propria ejus, caro
 denda aut vivifica.

Atqui caro Christi est ejusmodi.

Ergo.

XCVI.

Est ὁ ἁλογοισμὸς *diversa ἁέσεως*. Caro enim CHRISTI confi-
 deratur *bisariam*. 1. ἁσιωδῶς, ratione essentiae, in sua natura, per se, qua-
 tenus Caro humana. 2. ὑποστατικῶς, ratione existentiae in persona
 VERBI, quatenus haec caro.

XCVII.

Priori considerationis modo, caro CHRISTI communis est ipsi
 cum hominibus in universum omnibus; atque eò collimant lo-
 ca Scripturae, Heb. c. 2. 14, 17.

XCVIII.

Posterioris considerationis modo eadem Caro solius Filij
 DEI propria est, adeoque ob id ipsum vivifica Job. c. 6. 51, 53.

XCIX.

XII. Passiones ejus, qui passibilis est, propriae sunt.

Atqui DEVS non est passibilis: sed ἀπαθής.

Ergo.

C.

Erratur iterum error à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.
 Respondetur itaque per distinctionem, ex illo scitulo Athanasij:
 Dial. IV. de Trinitate.

Passus est ὁ Λόγος, non τῇ φύσει Deitatis: sed τῆς ἐνώσεως ὁμο-
 νομίας.

Ἀντι᾽ ἁέσεως posterioris.

PARS POSTERIOR

CI.

Fuerunt Sophismata Veterum Nestorianorum: jam devenien-
 dum ad Sophismata Recentium, tum Jesuitarum: tum Calvinianorum. *Refutatio III.*

CII.

Jesuitarum Protagonista Bellarminus tres potissimum argutium
 culis conglomerat, quibus communicationem proprietatum na-
 trarum, genio & ingenio planè Nestoriano, oppugnat. *Argumentorū
 Bellarmini.*

lib II de Incarnatione c. 10.

C

CIII.

CIII.

- I. I. Si communicantur verè & realiter propria unius naturæ alteri naturæ, & contra, ergo non manent distinctæ & inconfusa proprietates. Quomodo enim manent distinctæ, si humana natura habet divinas, & divina natura habet humanas proprietates?

CIV.

Tribus vitiis scatet unica hæc Jesuitæ συλλογὴ, quorum primum generale: reliqua specialia.

CV.

- I. Generale est, & πρῶτον ψεῦδος ignoratio veræ definitionis unionis, quam cum transfusione de subjecto confundit.

CVI.

Specialia sunt tres falsæ hypothesès, quarum 1, quasi communicatio proprietatum inveniat earundem confusionem; cum contrarium verum sit; siquidem ea quæ invicem communicantur; eo ipso non confundantur.

CVII.

2. Quòd garrit Humanam naturam habere, Divinas, & divinam Naturam habere humanas proprietates, quasi illæ humanæ: hæc Divinæ CHRISTI Naturæ insint ἐκτινωσὶς inhasivè & subjectivè, id quod falsissimum.

CVIII.

- II. II. Si communicantur, ergo non sunt amplius proprietates: sed communitates. Quomodo enim est proprium, quod est factum commune?

CIX.

Est Sophisma παρεπομένον. Non enim sequitur Proprietates, si communicentur, fieri communitates: sed hoc saltem: quòd nimirum propter illam communicationem, communicatæ sint & dici possint.

CX.

Propria enim semper manent uni certæ rei propria, neque unquam, in ipsa etiam communicatione, indè egrediuntur, ut fiant propria alterius rei.

III. Pro-

III. Proprietates harum naturarum ut plurimum sunt impossibiles, ut est esse creatum & increatum, finitum & infinitum, ubiq; & non ubiq;. Ergo, si divina natura recipit humanas proprietates, cogitur amittere suas: & si humana recipit divinas, cogitur amittere suas. Quomodo ergo salvæ proprietatibus facta est incarnatio?

III

CXI.

Sophisticatur iterum Iesuita è falsa hypothese, quasi proprietatum communicatio, sic earundem *subjectiva* in Humana CHRISTI Natura receptio, id quod vanum & inane Rationis humanæ Somnium.

CXII.

Interim κτήσι & κατ' ἐκείνησι, omnia Naturæ Divinæ idioma Carni ipsius communicata fuisse, ἀναντιρρήτως evincitur ex Axiomate Apostolico.

Coloss. c. 2.

In ipso habitat πᾶν τὸ λήρωμα
Deitatis (genitæ) σωματικῶς.

CXIII.

Neq; obstat, quòd non ab omnibus immediata: sed ab aliquibus, solum mediata fiat denominatio, propter causam, quæ alibi explicatur.

CXIV.

Calvinianorum argumenta jam quoque examinanda forent: Sed labore hoc supersedemus tum quòd ea satis trita & protrita: tum quòd pleraq; eadem cum Argumentis Nestorianorum Veterum & Iesuitarum quæ hætenus refutata: tum denique, quòd βεβηχολογίας nobis, ex pacto, habenda ratio.

F I N I S.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Several lines of faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Another set of faint, illegible text lines in the middle section of the page.

More faint, illegible text lines in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text lines near the bottom of the page.

Handwritten initials or a signature, possibly "VGA", located at the bottom center of the page.



05 A 526

ULB Halle

3


004 209 419



10/12







Εὐν τῷ Χριστῷ
DISPUTATIO IX.

συνοδολογική,
εαυε

VI. Specialis, & posterior de S Y N O D O
EPHESINA I. Oecumenica II.

De

N E S T O R I A N I S M O

tum Veteri: tum Recenti,

In Electorali ad Albim Academia,
Proposita

AUTORE AC PRÆSIDE

I O H A N N E F Ö R S T E R O

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente

M. JOHANNE CALLENIO Ulyssæo
Lunæburgo. Saxone.

Ad diem 12. Januarij horis locq; consuetis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.